RUPERTUS TUITIENSIS

Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 140r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25999
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Nam extra ipsam hominis substanciam cuncta pacta sunt. Hic autem et ipse
potestatis dominus circa ipsam hominis substanciam operatur. et ipsi quibus potesta
tem largitur. videlicet potestatem spiritum immundorum. ut eicerent eos. et ut
curarent omnem languorem. et omnem infirmitatem. Ubi maior clementie
gratia. ibi sine dubio maior venerande potestatis dignitas. Hec opera potes
tatis simul et gratie sunt. et viciniora humane saluti. et idcirco recte
seruata sunt ad ventum saluatoris cuius et propria potestas est et per quem gratia facta
est. Prophetarum tamen nobilissimi helyas et helyseus quedam huiusmodi opera
fecerunt. Nam helyas mortuum suscitauit. helyseus quoque et mortuum
uite reddidit. et leproso lauacrum quo mundaretur ostendit. Verum
hec ita facta sunt. ut uite et salutis per potentem hunc perficiende sacramen
ta prefigurarentur. sicut ipse in euangelio insinuat dicens. In ueritate dico
uobis. multe uidue erant in diebus helye in israel. quando clausum est
celum annis tribus et mensibus sex. cum facta esset fames magna in omni terra.
et ad nullam illarum missus est helyas nisi in sarepta sydonie ad mulierem
uiduam. Et multi leprosi erant sub helyseo propheta. et nemo eorum mundatus
est nisi neaman syrus xxi

Quibus primis potestatem hanc potens iste dedit duodecim apostolis sunt.
de quibus et marcus. et fecit inquit ut essent duodecim cum illo. et
ut mitteret illos predicare. et dedit illis potestatem curandi infirmitates
et eiciendi demonia. Et hoc ualde delectat quod hic homo celestis uere
iacob et spiritualis israel in primordio sue gentis uel generationis duodecim
spirituales filios genuit. illum iacob siue israel in typum sui precessisse comprobans.
qui carnales filios duodecim patriarchas. idem patres et principes future
gentis carnaliter genuit. Hic enim ueracitur ille iacob et ille israel. cui
in ysaia dicebat pater. Et nunc audi serue meus iacob. et israel quem elegi.
Hec dicit dominus faciens et formans te. ab utero auxiliator tuus. Noli
timere serue meus iacob. et rectissime quem elegi. Hec dicit dominus.
Effundam enim aquas super sitientem. et fluenta super aridam. Effundam spiritum
meum super semen tuum. et benedictionem meam super stirpem tuam. Et cetera. Quid
enim uerius. si ad istum respicias. quid inquam uerius aut certius eo quod ait.
effundam spiritum meum super semen tuum. et benedictionem meam super stirpem
tuam. Effudit enim super hoc semen et super hanc primitiuam stirpem eius
spiritum sanctum suum. et in eodem spiritu benedictionem suam. quando apparuerunt
illis dispertite lingue tanquam ignis. sedtique supra singulos eorum et ceperunt.
loqui uariis linguis. prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Quid enim